

UM
RUM
E
EINZIA
UM





DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio LII.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallensis

Rectore

Respondente

JOHANNE XUMPHORSTZ.

Halberstadensi Sax.

Dominica XXI. post Trinitatis.


A. O. R. cl. lbc. III.




HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegelij*

An: 11





ANALYSIS
 EVANGELII
 DOMINICA XXI. POST
 TRINITATIS.

Joh. 4. c. à vers. 46. usq. ad fin.

Πεγοίμιον.



*Aulus testatur Ephes. 3, 20.
 Deum exsuperantia posse face-
 re super omnia ea, qua petimus
 aut cogitamus, pra potentia sua.*

*Certè plus vult ille dare quàm nos accipere, ait
 Augustin. Inde plus vult ille misereri quàm
 nos à miseria liberari. Annon Salomon pe-
 tit sapientiam? 1. Reg. 3, 11. sed Deus addit &
 opulentiam. Abraham pro Israelis vita in-
 tercedit, & Deus Isaacum addit Gen. 17, 20.
 Paralyticus sanitatem corporis spectabat, &
 anima unà impetrabat Matth. 9, 6. In hodie-*

T t

no Ev

no Evangelio Regius petiit sanitatem filii, & ecce Deus dat ei salutem etiam anima: nec solum illi, sed & ipsi patri ac toti familia, nisi illud ipsum in textu uberius declaratur.

THESIS I.

In quo morborum & mortis officina, ubi occurrit regius, cuius describitur vocatio v. 46. In quo ejus persona, ratione officii, à dignitate, indefinitè: Et erat quidam regulus. Ex Herodis anlicis, quia is Galilææ præerat Luc. 23, 7. Et licet Herodes Rex non esset, sed Tetrarcha, Rex tamè à vulgo dicebatur Marc. 6, 14. Ab adulantibus enim amplificantur magnatum tituli. Palatinum verò merito vocat Hieronymus, quòd de palatio esset Herodis in c. 65. Esa. Regium autem dictum, sive quòd ex regio genere esset, habet Chrysohom. 43, v. 4. in Joh. sive quòd regali principatus dignitate fungeretur: unde Haymo inquit: dicitur regulus in Latina versione per diminutionem, quia non erat tante potentia quanta Rex, quia sub ejus ditione agebat, ejusq; imperio parebat. Ideoq; gentilem fuisse, facile colligitur: nam Romani non judaicis ministris sunt usi. Ut discamus, licet dominus fuerit nequam, tamen ministrũ potuisse esse bonum. Ita

Moy-

*Moyſes in aula Pharaonis, Exod. 2, 10. Daniel
in aula Nebucadnezaris, Dan. 3, 21. Naeman
Syrus in aula regis Benhadadis, 2. Reg. 5, 1.
Æthiops Ebedmelech in aula Regis Zedekie
Jerem. 38, 7. Johannes Baptiſta in aula He-
rodis Luc. 31, 2. In aula Neronis pios fuiſſe
colligitur ex 1. Philip. 4, 22. Habet enim
DEUS in quovis hominum genere ſuos, quos
novit, 2. Timoth. 2, 19. Nescit, ait Hiero-
nymus ad Celan. religio noſtra perſonas acci-
pere; nec conditiones hominum; ſed inſpicit
animos ſingulorum, ſervum & nobilem mori-
bus pronunciat: ſola apud Deum libertas eſt
non ſervire peccatis, & ſumma apud Deum
nobilitas clarum eſſe virtutibus.*

2. Et ratione relati, cujus filius infirma-
batur. Febri, ut conſtat ex eo ipſo capite v. 52.
qui morbo gravis, unde & mala dicitur Sir. 41,
32. conſumens, Deut. 32, 24. ardens, Lev. 26,
16. Et tantum tres leguntur in ſacris ſanati,
Regii filius, Joh 4, 51. Petri ſocrus, Matth. 18,
15. & Publii parens, Act. 28, 8. Filium etiam
fuiſſe unicū ac unicè dilectum, colligunt, ideoq;
magis charum. Interim notandum tales &
morbis non eſſe alienos, uti Siracides inquit c.
10, 12. homo enim animal fragile, uti habet Ba-
ſil. hom. II, Hexaameron innumeris afflictio-
nibus

nibus subjectum, ex nativitate usq; ad senectutem: infinitam malorum multitudinem exhaurimus. Simulq; notemus conjugium esse scholam crucis. Ita Jobus expertus Job. 1, 13. mulier dives Sunamitis 2 Reg. 4, 20. mulier Cananea Matth. 15, 22. Ad salutem tamen ea infirmitas fuit plus aculei quam periculi ferens, inquit Ambros. ad Bellicium epist. 9. l. 2. Et saepe potior paupertas opibus, deformitas forma, contumelia laudibus, virtus potestate, imbecillitas viribus, libertate captivitas, humilitas dignitate, ait Hieronym. in epist. ad amicum aegrotum.

3. Et loci circumstantia: in Capernaum. Quae fuit civitas Galilaeae metropolis, ut jam saepe dictum. Et quamvis pulchrum vicum denotet, tamen illic inveniuntur aegroti; nam & aulici & alii morbis sunt obnoxii & morti, ut aequè ducantur ad Christum, quia infirmitas corporis est sobrietas mentis, habet Ambrosius.

4. Et Christi directa propter filium compellatio. v. 47. in quo occasio, quoad antecedens, respectu causae impulsivae, quae fuit rumor: hic cum audisset. Ergo non vidit, uti quidam volunt, sed audivit, uti alias fides ex auditu est. Rom. 10, 17. Audivit enim

*in Cana Galilæa fecisse miraculum, ex aqua vinum. Non itaq; omnia, que audiuntur in-
super sunt habenda.*

5. Et respectu efficientis: quòd Jesus advenisset è Judæa in Galilæam. *Ubi fecit ex aqua vinum. Atq; ita miracula in memo-
riam reducit, habet Hieronymus v. 54. ad majorem Samaritanorum laudem. Et bonam quandam opinionem conceperat de Christo re-
gius iste, addit Theophyl. in Joh. c. 4. Ut discamus bonum esse, si Christus advenit.*

6. Et narratio, quæ continet reguli præstationem per factum: abiit. *Quia crux vite fons, ait Chrysoft. hom. 32. ad pop. An-
tioch. & mala, habet Gregor. lib. 26. moral. c. 9. festinare nos ad superna compellunt. Ut discamus etiam adire Christum in tribulatio-
nibus.*

7. Dictum: & rogabat eum. *Id quod videtur fidei argumentum, ait Chryf. hom. 24. licet non firmiter atq; integrè satis, sed ob incredibilem in filium amorem. Ut discamus etiam in miseris rogare Deum.*

8. Et rationē, à causa finali intermedia: ut descenderet. *Arbitrabatur quippe ipsum non posse absentem sanare, quod infirmitatis. Inde inquit Gregor. hom. 18. super Evang.*

petiit, tamen & dubitat, omnipotentem ubiq^{ue} esse, hoc erat virtutem, non Majestati, sed presentia corporali assignare. Interim infirma fides etiam fides, cum virtus Dei in infirmitate perficiatur, 1. Corinth. 12, 9. quiq^{ue} calamum quassatum non confringit, & linum fumigans non extinguit, Esa. 4, 2. dum neminem ad se venientem eicit, Johan. 6, 37. Ubi vero promisit se velle presentem esse, ibi etiam ejus presentia est expectanda & expetenda, uti in his terris Mat. 18, 26. c. 28, 20.

9. Et ultima: ac sanaret filium ipsius. Ut discant parentes liberorum curam suscipere in corporalibus propter adversam valetudinem, quo Christum adeant, uti Syrophœnissa Matth. 15, 22. Pastores, exemplo uxoris Jero-boami, 1. Reg. 14, 17. Piorum preces sollicitent, Jac. 5, 16. medicos consulant, exemplo Ezechie, Esa. 29, 31. & curent, exemplo Sunamitidis, 2. Reg. 4, 20. Contra, inquit August. serm. 10. de sanct. hac animadversione percutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei, & in spiritualibus, quo in honestate & pietate educant, Eph. 6, 4. Ideoq^{ue} ait Chrysostr. 9. hom. in Timoth. si burdonibus atq^{ue} asinis, agaso nobis proficiendus est, non parum vigilamus ne dementem aut temulen-

551

zum, aut furem, aut eius rei imperitum prae-
ciamus: sin verò ad colendum puerorum inge-
nium pedagogus nobis sit inveniendus, qui casu
oblatu fuerit, eum recipimus, nec considera-
emus nullam artem sublimiorem hoc artificio
inveniri.

10. Et à causa impellente propter mor-
bi periculositatem: siquidem is volebat
mori. Erat enim in extremis, unde intelligitur
fidei imbecillitas. Credit quidem Christum sa-
nare posse filium, sed vivum, non mortuum:
ideoq; petit ut antequam moriatur descen-
deret. Ut discamus quamvis unica tantum
sit fides, Ephes. 4, 15. tamen habere diver-
sos gradus. Et Ecclesia habet in se, ait Au-
gust. serm. 107. de temp. firmos & infirmos,
Deus enim dividit mensuram fidei unicuiq;
Rom. 12, 3. Ideoq; infirmi non desperent, & fir-
mi non nimium se jactitent. Natura quia hu-
mana haec conditio, uti habet Chrylost. hom.
51. in Matth. ut difficilioribus nonnunquam
superatis succumbat in minoribus, dum the-
saurum in vasis testaceis circumgerimus, 2.
Cor. 4, 7.

11. Partim est medicina, ubi Christus
quatenus sanat, cuius antecedens est reguli
objurgatio. v. 48. in quo causa: dixit ergo

T c 4

Jesus

Jesus ad eum. Qui vidit & novit optime qualis sit fides. Quo itaq; partim laxaret, partim etiam confirmaret, respondit. Inde Chry-
 tost. hom. 34. in Johan. quid ergo ita Christus respondit, queritur? vel quia Samaritanos, qui sine miraculis crediderunt, admiratur, vel civitatem Capernaum, unde ille gentilis erat, reprehendit. Itaq; licet hic crediderit, non tamen firmiter, neq; integrè. Quamobrem hominis animum inuitus arguit, ut magis in fide confirmaret: Neq; enim ante signa admodum credebat. Ut discamus succurrere imbecillitatibus.

12. Et forma reprehensionis ab accidente incredulitate, cujus antecedens: nisi signa & prodigia videritis. Ubi non tam ipsius viri infirmitatem, quam totius gentis redarguit, Matt. 12, 38. ut quæ nimis erat cupida miraculorum. Est autem aliud signum, aliud prodigium, habet Theophyl. in Johan. c. 4. nam prodigium fit præter naturam, ut est aperire oculos cæci nati, & excitare mortuum: signum non præter naturam, ut est sanare infirmum, siquidem in auris metallis, ne minimam venam quispiam, qui rem intelligat, omittere patitur, utpote quæ ad augendas divitias plurimum faciat; ita in divinis scripturis

ris, ne unum jota aut unus apex, sed ne minimum quidem pratermittendum est: sed omnia diligentius investiganda: nam à Spiritu sancto omnia proveniunt, neq; in his quicquam superfluum, nihil non necessarium. Discimus autem fidem veram non prodigiis, sed verbo divinitus revelato niti debere, quia fides ex auditu est, Rom. 10. 17. Et Petro non dixit, quod Chrysofost. hom. 47. notat in Matth. si me amas, signa fac, sed pascere oves meas. Quin Johannes signum nullum fecit, Joh. 10, 41. Deniq; Augustin. habet lib. de unitate Eccl. c. 16. cum iam distincta sit terra fidelis ab aquis maris & fidelitate amaris & lingua in signa non sunt fidelibus, sed infidelibus, Chrysofostom. addit homil. 47. in Matth. Miracula nisi jugiter vigilemus, plerumq; nocent: Simon quoq; magus hac ratione fuit ejectus.

13. Removeantur, inquit August. ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, qua dicuntur, aut si aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus, quod cum dixisset Dominus quosdam futuros esse fallaces, qui per nonnulla signa electos, si fieri posset, fallerent: adjecit vehementer commendans, & ait: Ecce predixi vobis. Si nimirum petantur 1. signa ex

malitia *Scelerandi causa*, uti *Judaei*, Luc. 11, 29. Joh. 2, 19. 2. si ex curiositate, uti *Herodes*, ad quem *Pilatus Christum* mittebat, Luc. 23, 8. Vel 3. ex diffidentia, uti *Zacharias*, Luc. 1, 18. Qui verò tantum signa petunt, ad confirmationem promissionis, uti *Abraham* Gen. 15, 8. uti *Gedeon* Jud. 6, 17. uti *Ezechias* Esa. 38, 8. aut ex fidei imbecillitate, non quidem plane improbandi: sed tamen in Novo Testamento non simpliciter concessum, de quo August. l. 22. de Civ. Dei c. 8. quisquis adhuc prodigia quaerit, hoc ut credat, ipse magnum prodigium est. cum toto mundo credente non credat. Oratione opus est ad Deum, quo eventum illi committamus, Eph. 3, 46. & August. q. 36. in Gen. exemplo Christi ex Matth. 4, 7. confirmat.

14. Et consequens: non creditis. Sicut ut *Syrus* loquitur, non credetis: Ac si tacite promississet, ut fidem confirmaret: sed una tamen etiam redarguit, uti dictum, veluti colligitur ex *Reguli* continuata oratione. Ut discamus prudentiam esse adhibendam ministris: Neque enim, quod habet *Chrysostr.* l. 2. de dignitate Sacerd. uniformiter secundum mensuram delictorum increpationes nos quoque oportet inferre, sed diligenter inspicere eorum, qui deliquerunt vires, atque propositum. ne forte volens,

volens rupe sarcire maiorem operetur disci-
sionem, & cupiens corrigere collapsa casum
graviorem inferat. Tali igitur affectu, uti
Basilius Magnus in quæstionib. compen-
dii quæst. 99. qualem assumerit pater, &
medicus cum condolentia & misericordia se-
cundum scientiam curans proprium filium
unum, & maximè ubi mæror affuerit & labo-
riosus medela modus.

15. Et ejusdem reguli instans sollici-
tatio. v. 49. in quo persona: dicit ad eum,
Regulus licet reprehensus à Christo, tamen per-
git & instat, uti Christus docet, Luc. 18, 1. Per-
severandum itaq; in spe & oratione, uti Abra-
ham fecit: quia interdum tamen Deus, uti docet
Basil. in Const. Mona. c. 2. quod que daturus
est, ideò differt dare, ut hoc modo magis nos ad
assiduitatem orandi vocet, & ut intelligamus,
quod sit donum Dei, & ut datum diligenter
custodiamus. Quod enim difficulter acquiri-
tur, illud diligenter asservatur.

16. Et causa sollicitationis formalis,
ratione objecti: Domine. Et quanquam
dominum appellat, habet Cyril. in Joh. lib. 2.
c. 116. verè tamen dominationis dignitatem
non concedit: si enim verum illum esse Domi-
num cognovisset, non rogasset, ut ad agrotan-

rem adolescentem ascenderet, sed ut uno verbo
vexantem morbum expelleret.

17. Ratione modi : descende. Quo
corporalem Domini praesentiam quarebat, qui
per spiritum nunquam deerat : Minus itaq³ in
eum credidit, quem non putavit salutem posse
dare, nisi praesens esset & corpore, ait Gregor.
hom. 28. super Evangel. Debuerat enim, si
non prius, ac saltem post reprehensam animi
sententiam, magnam quandam de Jesu opinio-
nem concipere. Ut discamus fidei gradus.

18. Tum impellens causa : priusquam
moriatur filius meus. Audi, inquit Chry-
sost. hom. 34. in Ioh. quantum adhuc humi
trahatur, ac si mortuum suscitare non potuisset
& nesciret, uti puer se haberet, quamvis mor-
tuo, jam ferè posse ipsum opitulari speraret,
habet Cyrill. lib. 2. in Ioh. cii 8, Et regulus fi-
lii dolore affectus, non multum tunc Jesu verbis
attendit, in solius filii cura versabatur postmo-
dum ea reputaturus & inde multum utilita-
tis consecutus, ait Chrysost. homil. 34. in
Iohan.

19. Tum est consequens, quod continet
miraculum factum, ubi est per verbum sa-
natio. v. 50. in quo de Christo seu efficiente
in genere denominatio : dicit ei Iesus, Non
itaq³

itaq; imperitiam nostram in omnibus Christus respicit, sed ut Deus etiam peccantibus salutem affert. Neq; si differt aliquando Dominus exaudire, ideoq; negat, sed differendo diutius servare vult: quia quid obsit, quid profit, medicus novit, nō agrotus, habet Aug. de verbo Dom. ser. 53. Verum quid est quod regulus rogat, ut ad ejus filium veniat? habet Gregor. Et tamen corporaliter ire recusat, Et ad servum non invitatur, Et tamen corporaliter ire ad ipsum pollicetur? Reguli filio per corporalem presentiam adesse nō dignatur, centurionis servo non dedignatur occurrere. Quid est hoc nisi quod superbia nostra retunditur, qua in hominibus, non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & divitias veneramur.

20. In specie est ablegatio: vade. Qui modq; liberationis longē melior erat, quā ipse prescripserat. Nam magna illi mora conficiendi itineris fuisset; filius mortuus interea, viventem conversio totius familiae secuta.

21. Et ratio: filius tuus vivit. Licet in agone fuerit, aut planē etiam mortuus. Ut discamus inde maiestatem Christi, qui non procumbit in genua, uti Elias 1. Reg. 17, 21. non incumbit super reguli filium, uti Elisa 2. Reg. 4, 34. non amplectitur eum ut Paulus Eutychum,

obum, Act. 20, 9. sed dicit tantum, filius tuus vivit. Jam tunc convaluit, quia ea, quae dicit, facta sunt, Psal. 134, 6. non naturalis valetudo, sed divina operationis magnitudo agnoscitur, ait Emiffenus.

22. Tum de regulo, seu materia, cujus effecta interna: credidit homo sermone, quem dixerat ei Jesus. Habebat quidem tentationes fidei, sed tamen crescebat, & contra omnes sensus nititur nudo assertionis verbo. Ita Noe a verbo fretus ingreditur arcam, Gen. 6, 22. ita Abraham patriam deserit, Genes. 17, 4. Jacob in Mesopotamiam abiit, Gen. 28, 12.

23. Quoad externa: Erubat. Ita fides ejus habet initium, cum filii sui salutem petit, incrementum cum credidit, complementum cum ivit. Perficiet autem & nunc hoc miraculum Dominus, habet Theophyl. in Joh. si quis illum adeat. Omnis homo est regius quidam, non solum quod cognatus propter animam Regi omnium, sed etiam quod ipse regiam dignitatem supra omnes accepit. Invenitur autem saepe, habens quidem mentem, quasi filium igne voluptatum illicitarum & concupiscentiis male laborantem. Si igitur accesserit ad Jesum, & petierit ab eo ut descendat, hoc est, miseretur.

serreatur & remittat illi peccata priusquam
 tota à morbo voluptatum moriatur. Si igitur
 accesserit assequeretur quod quarit, & recipe-
 ret mentem sanam suam. Veruntamen vide &
 quid dicat ad illum Dominus: Vade, filius tu-
 us vivit: ne sis immobilis ad bonum, sed vade,
 & incessabilem motionem ostende ad bonum.
 Tunc enim filius tuus vivet. Si autem quie-
 veris non ambulans, morietur planè mens tua
 eò quod ad bonum te non promoveris.

24. Et continet eventum, in specie
 respectu filii est per servos reconvalescen-
 tiæ annunciatio, v. 51. In quo tempus: jam
 autem eò descendente. Ita reguli fides sese
 manifestat, cum dominus vellet descendere,
 ipsa ascendit: est enim fides granum illud quod
 cum cadens in terram mortuum fuerit mul-
 tum fructum affert Joh. 12, 24. Nempe fides
 Christiana, habet Ambros. serm. 1. primæ
 fronte speciei suæ videtur esse parva, vilis &
 tenuis, non potentiam suam ostendens, non su-
 perbiam præferens, nō gratiam subministrans,
 ac ubi diversis corporis translationibus, ut gra-
 num sinapis, statim vigorem suum prodit, acri-
 moniā indicat, calorem dominicæ credulitatis
 aspirat & tanto divini ignis ardore jactatur,
 ut ipsa ferveat & participantem ardere com-
 pellat.

25. Et

25. Et modus illustratus per Proso-
popœiam, quoad factum: servi occurrerunt
ei. *Velocitatem & vim verborum Christi an-
nunciantes, Domino sic dispensante, ut ab
eventu rerum reguli fides cognosceretur, ha-
bet Cyrill. 2. c. v. 21. in Ioh.*

26. Et dictum in genere: & nun-
ciaverunt ei: dicentes. *Non ut moneretur tan-
tùm fortassis, sed ut superfluum Christi adven-
tum indicarent, obviam eunt: sciebant enim
jam adventare, quare in itinere eum convene-
runt, ait Chrysoft. hom. 43.*

27. In specie: filius tuus vivit. *Vides
quomodo hoc miraculum manifestetur, ait
Chrysoft. d. 1. Non enim per successionem &
diuturnitatem convalescentis, ut assolet, libe-
ratus est, sed repente ne naturalis valetudo,
sed Christi operatio videretur. Nam qui in
ipsum mortis articulum venerat patris vesti-
gio ipse è vestigio in prosperam restitutus est
valetudinem: vitam enim habet in sua vo-
luntate, Psalm. 10, 14. potens est facere omnia
quæ vult, Psalm. 35, 6. Discendum propterea
ministeriorum esse fidelium, uti condolere, ita
etiam congaudere. Sic fecit Eleasar, Gen. 24,
10. servi Cornelii, Act. 10, 7.*

~~28. Respectu patris, de hora facta re-~~

28. Respectu patris de hora factæ re-
convalescentiæ percontatio. v. 12. In quo,
quoad regulam modus: suscitatus est. Vo-
luit nimirum cognoscere, an sponte sua Christi
præceptis discesserit. Ut discamus inquirere,
quemadmodum Berrhoenses Actor. 17, 11. &
Emauntini Luc. 24, 32.

29. Et tempus: ab eis horam, in qua
melius habuisset. At ita, quod Beda ait, com-
plementum fidei suæ confirmavit. Sic Saulem
Deus per Samuelem, ne de vocatione dubius
esset, 1. Sam. 10, 2. Fieri fidem per sanatum
Hæmorrhousam Matth. 9, 19.

30. Quoad servos respectu tempo-
ris: Et dixerunt ei hora septima. Hoc est,
juxta horologium nostrum hora 1. pomeridia-
ne: quia omnis dies constat 12. horis, Joh. 11,
9. sicq; harmonia temporis in fide pater con-
firmatur. Nam qui credit, habet Esaias cap:
28, 16. nec festinabit, nec tumultuabitur. Ca-
na quinq; miliaribus distabat: hora prima po-
meridiana Regulus dimissus est, & hora pri-
ma etiam filius sanatus est.

31. Respectu modi: reliquit eum fe-
bris. Hoc est, sanatus est. Febris autem no-
stra avaritia est, inquit Ambros in Luc. lib:
4. c. 4. febris nostra libido est, eo quod ignita

Vn

sint

sint cupiditates; febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est, quae, licet corporis vitia sint, tamen ossibus implicant, mentem, animum, sensumque pertentant; vehementior tamen est animi quam corporis febris. Et ideo pro corporis voluntate animi salus plerumque contemnitur, nec à periculis abstinetur.

32. Quoad universos, ubi totius familiae conversio. v. 53. In quo de patre respectu facti, ubi antecedens: cognovit ergo pater. Atque ita perfecte credidit, quando & de hora didicit, habet Theophyl.

33. Respectu termini: quod illa hora esset, in qua dixisset illi Jesus: filius tuus vivit. Siquidem concordant omnia, quae sunt divina. Num promitteret aliquid, quod non faceret Dominus? dicit Bileam Num. 23, 19.

34. Consequens quoad regulum: Et credidit ipse, iam nihil amplius erat dubitandum, cum cuncta concordarent. Et sic ad salutem ea infirmitas plus aculei quam periculi ferens, juxta illud Deut. 32, 39. percutiam & sanabo. Percussit infirmitate, sanavit fide; infirmitas corporis facta est sobrietas mentis, habet Ambros. lib. 2. epist. 9. Atque ita duos iisdem, Salvator verbis sanavit, ait Cyrill, loc. dicto.

Nam

Nam & reguli animum ad fidem induxit, & à corporis morbo adolescentem eripuit, & utrumq; eodem id tempore fecit, ut difficile sit dictu, quemnam prius curâsset.

35. Et quoad familiam: domus ejus tota. Quia procul dubio domesticam instituit concionem, qua omnia inter se & inter Christum facta, enarravit. Quod & est omninò faciendum, secundum monitum Chryl. hom. 78. in Matth. cum à lectulo Paterfamilias se receperit, nihil aliud querat quam ut ea faciat atq; dicat, quibus incrementa religionis domui universa adjiciat. Sic Cornelius omnes suos domesticos instituit, Act. 10, 33. Ad vitam aeternam omnes moveat Paterfamilias, doceat, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: quisq; in domo sua ecclesiasticum, quodammodo impleat officium, Christo ministrans, quod & ipse & sui sint cum eo, monet Augustinus.

36. In genere est facti respectu ordinis determinatio, in quo numerus: hoc iterum secundum signum edidit Jesus. Nempe post reditum ejus ex Judaea in Galileam: ut intelligatur ordo eorum in eodem loco factorum. Praefiguratur autem paucitas Judaeorum.

in Christum crediturorum & numerositas gentium ad fidem ventura, ait Haymo.

37. Et locus: cum venisset à Judæa in Galilæam. *Ubi fecerat ex aqua vinum. Ut discamus circumstantias confirmare historias.*

NOTÆ.

I. **R**ogatur ut descendat) Considera hominū desideria esse varia; ut discas ea itidem rogare, quæ tibi salutaria.

II. **N**isi signa & prodigia videritis.) Considera Christum duriusculè alloqui regulum; ut discas Deum sæpè increpare ut salus queratur.

III. **V**ade, filius tuus vivit.) Considera verbo Dei omnia mutari ac curari posse; ut discas eidem fidere.

CASUS.

An in morbis desperatis Medicus postponendus, & ad Magos confugiendū?

Videtur: 1. Quia hic centurio adiit Christū, de quo trahebant Judæi quod per Beelzebub curaret Luc. 11, 14. Matth. 12, 24.

2. Quia in constitutione Constantini habetur l. 4. C. de Maleficis Eorum

Eorum scientia punienda & severissi-
mis merito legibus vindicanda, qui ma-
gicis artibus accincti aut contra salu-
tem hominum moliri, aut pudicos animos
ad libidinem deflexisse detegentur. Nullis
verò criminationibus implicanda sunt re-
media humanis quaesita corporibus, aut in
agrestibus locis innocenter adhibita suffra-
gia, &c.

2. Experientia testatur. Unde & ha-
betur l. 1. §. 3. in fin. ff. de extraordi-
nariis cognitio. tametsi sunt qui Ma-
gos sibi profuisse cum praedicatione affir-
ment. Tholoi. lib. 34. c. 18. sic quondam
nulli mures, nulli glires fuerunt Parisiis
propter serpentem gliremq; aneum, ut ha-
bet Turonensis lib. 8. hist. Franc. c. 33.

Non videtur: 1. Quia Deus non
est tentandus, Matth. 4, 7. Deut. 6. 16.

2. Quia in jure prohibitum toto ti-
tulo. C. de Maleficis & Mathematicis.

3. l. 1. §. 3. ff. de extraordi. cognit.

Augustinus inquit: Omnis inqui-
sitiō & omnis curatio, quae à Magicis arti-
bus expetitur mors potius dicenda quam
vita.

4. Pec-



4. Peccant contra Deum, dum non
faciendā mala, ut eveniant bona, Rom. 3,
8. & Magia mala, Lev. 19, 31. & 20, 6.
est opus carnis, Gal. 5, 20.

Ad contraria: 1. Fall. causa. Non adi-
it ipsum ut Magum, sed ut Deum, unde
adoravit & ei credidit cumq; tota domo
conversus fuit Joh. 4, 53.

Videatur Balduin. lib. 3. c. 5. casus
conf. cas. 1. Cham primus fuit quem gen-
tes Zoroastrem appellant Plin. lib. 30. N.
hist. c. 1. August. de Civit. Dei lib. 21.
c. 14.

Ad 2. 1. 4. C. est improbata,
quod & Tholosan⁹ monet in lib. 34. c.
18. ubi inquit: rectius statutum invenim⁹
legem & hanc prohibendam & puniendam
esse apud Leon. qui de hac constitutio-
nem edidit 65, quæ ita habet: Ego verò
promulgatam à veterib⁹ legislatoribus le-
gem considerans eam, quæ modo incanta-
mentum malum est rata, id punit. Modo
verò admittit & approbat: quanquam id
ex utentium proposito malum non fiat, sed
sua natura vitiositate, tanquam sterquili-
nia

via graveolentia scaturiat: non tamen il-
 los legesatores reprehendendos dixerim,
 sed ne quis legem (quod meritò fiat) vitu-
 peret, eam ex legum quasi fundo tollen-
 dam puto. Vult autem puniri incantatio-
 nes, eò quod modestia animi sublata, sti-
 mulis furoreque amatorio rationem ad insa-
 niam adigant: ac approbat rursus illas,
 tanquam segetes & fructus curent, aliaque
 bona (ut quidem videtur) suppeditent.
 Atque ita quod tanquam insidiosum puniis-
 set, idem rursus tanquam beneficium
 honorat. At qui nos istiusmodi incantatio-
 nes perniciosas esse persuasum habemus: &
 ut boni quicquam inde manare creda-
 mus, induci non possumus. Ac sanè etiam si
 boni quicquam producere illas appareat
 (quomodo quidem approbanti ipsas legi vi-
 detur) non id bonum esse, sed illecebram atque
 nassam, qua illectos in malorum omnium
 extremum, ubi à summo bono excidant,
 absorbeat, compertum habemus. Notum
 enim nobis est, illas, ut qui se ipsis dedunt
 præ Creatore & Domino infausis divisi-
 onibus adhaereant, efficere: Et qui illas
 affectant

assedantur, hos per externarum rerum lætam quandam speciem vulnera in animam excipere. Quale quiddam inter pugnandum meticulosus frequenter accidit: qui dum ictus in manus accipere nolunt, illis vel caput vel ventrem exponunt. Sane verò si quis aliquo modo incantamentis usus esse deprehensus fuerit, siue id restituendæ conservandæve valetudinis, siue avertendæ à rebus frugiferis calamitatis causa fecerit, is apostatarum pœnam subiens, supremum supplicium sustinet.

Ad 3. Experientia testatur quidem, sed nō probatur dum ea ut plurimum tantum ad tempus profuisse loquitur, uti monet Tholos. l. 33. c. 17. nam Adrianus Cæsar aquam inter cutem incantationibus educerat, quæ tamen rursus replet⁹ fuit agrotus Xiphil. in Adrian. Vel ficta, uti Marius Maximus cōmemorat de eodem Adriano. Et propterea punitit les, licet revera curati Tholos. d. l. ex Hippocrate lib. de sacro morbo: & Marcellin. lib. 16. Et damnati sunt etiam ab Antonio Caracalla, qui remedia quartanis febrib⁹ collo annexa gestarent Sparti. in Caracal:

Rumpere qui lignum voluit vel mortis,
Et omni

Conatu licet, hunc haut valuisse patet.

Ast ubi Capernaumi vir regius, atq;

Implicitus febrī filius ejus erat:

Sollicitat Christum citò quo descenderet, esset

Natus in extremis, quin in agone, suus.

Jesus dixit ei: nisi vos miracula multa

Cernitis, haut ullus vult adhibere fidem.

Regius è contra: Jesu, descende priusquam

Ex vivis abeat filius iste meus.

Cui Jesus subjecit: abi tuus ille revixit

Filius. Huic verbo credit, abiq; domum.

Dum descendit, ei venit obvius unus Et alter

Servus, qui, vivit filius ecce! refert.

Qua melius factum fuerit, disquirat in horam

Septenà servus dicit abisse febrim.

Filius ecce tuus vivit qua dixerat hora,

Hac abiit. Tunc is credidit, atq; domus.

Judeisq; locis veniens Galilaea, secundum

Jesus hoc signum fecit in urbe sua.

Erras presentem qui poscis corpore Christum:

Hic absens verbo sanat egrà suo.

Talia proponit RUMPHOLTIIUS. Istaq; pergat!

Na rumpet lignum grande favente Deo.

optat

GURINZIUS.

Cunctos, adversi, mortales, turbine fati

Jactari, qui sunt æternæ gaudia vitæ

Nactus

Naſturi, ſacri, referunt myſteria, verbi. (ſati
Regulus hic teſtis, quē vis premit improba
Urgentis, miſeris in rebus quærit Iēſum,
Qui Medicus velut, auxilio ſuccurrit egentis
Quo exemplo, nobis monſtratur rebus in
arctis

(candos.
Supplicibus precibus, ſuperos in vota vo-
Qui noſtris, placidas præbebunt vocibus,
aures. (ille

Talia nunc multis repetit RUMPHOLIUS
Pergat! ſic poterit ſuperū ſtatione locari.

JOHAN. DRUDE Halberſt. S.

JOHANNES RUMPHOLIUS.

нат' амаге.

OMNIS INOPS SALVETUR.

Rebus ut adverſis conferēta ſtet Ilias orbi,
Vaſtis ac inhiēt morborum voluier undis
Merſum, ſalviſico tamen ꝳ, Corypheus in arte
Pæonia Machaon ſtillans medicamine Chriſt^o
Hand ſuffocetur, ſudat, ſtat namq; cupido,
OMNIS INOPS SALVETUR; opē modo quærat
Luceat ꝳ fidei ſcintillula, Regius aulā (Iēſu
Talia commonſtrat: cui proliſ ut agrā grabatū
Strata, ſalus, ſanata dedit. Rumpholeſi^o inde
Inquiri, quaſita notat, docet, atq; rependit.
V Lter IV s ſIC Vera DoCe ſIC Vera re-
voLVe,

SpLenDor Vt ether Iſ ſlas aCg Lorla & Vrbls
Henricus Arckenholz Peinā. Hild.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C



ITIARUM
ELICARUM
uisitio LII.
 RÆSIDE
 NO GUEINZIO
 afii Hallensis
 Rectore
bondente,
ΧΥΜΡΗΘΕΣ.
 ctadensi Sax.
XI. post Trinitatis.
cl. Inc. III.
 SAXONUM
m Melchioris Oel-
chlegely

An: U

